

acquisito superveniente ipsi naturæ, et vincente difficultatem, atque indifferentiam, sed ex instinctu naturæ, et ab auctore naturæ dato determinantur; sicut avis naturaliter determinatur ad colligendam paleam pro nido, et ovis ad nutriendum, et quærendum agnum, quem peperit, et gallina ad congregandum pullos suos. Et ex eodem instinctu moventur bruta, et determinantur ad aliquid fugiendum, vel prosequendum, vel faciendum ex aliqua immutatione aeris, vel temporis, quod est quasi signum tempestatis, vel serenitatis, et hoc totum faciunt bruta ex instinctu naturæ, seu ex naturali æstimatione.

XIII. Qui naturalis instinctus, seu æstimatio non est aliud, quam determinatio iudicii facta non per collationem, et discursum, ita quod ignorent rationem sui iudicii, nec eam reddere possunt, ut docet S. Thomas xxiv de veritate, art. ii, et i p. quæst. lxxxiii, art. i. Unde formatur in brutis instinctus, et æstimatio naturalis ex occurso alicujus objecti mediante specie præsentativa cum convenientia, vel inconvenientia ipsius naturæ animalis, quia ordinatur ad conservationem sui, vel prolis, in qua species, seu natura conservatur. Et sic determinatur ejus iudicium, quia licet indifferens sit ad plures actiones, sicut et ad plures species repræsentativas, tamen iudicium in ipso modo iudicandi, et procedendi determinationem habet a natura, quatenus in vi talis naturæ est constrictum, et obligatum illud iudicium ad iudicandum solum de eo quod in specie sic repræsentativa occurrit ut conveniens, vel disconveniens cum ipsa natura; non potest autem per collationem, aut investigationem rei repræsentatæ in speciebus, eruere aliquam rationem, et motivum se de-

terminandi, sicut homo potest. Et sic D. Thomas quæstione xxiv de veritate citata, art. ii ad septimum: « Quod in brutis iudicium naturale est determinatum ad hoc quod id quod uno modo proponitur, vel occurrit, eodem modo accipiatur, vel fugiatur. » Unde illa indifferentia magis vincitur, et superatur ab ipsa natura, et propensione ejus, quam ex aliquo superveniente naturæ, et acquisito per consuetudinem, et consequenter non sunt capaces habitus, quia determinatio ex habitu contraponitur determinationi ex instinctu, et processu naturæ.

XIV. At vero si bruta considerentur secundo modo, quatenus ex gubernatione, et dominio hominis possunt dirigi, et gubernari, sic sunt capacia alicujus habitus, licet non perfecti, sed imperfecti, ut docet D. Thomas quæst. l, artic. iii ad secundum, quia disponuntur a ratione, et gubernatione hominum ad aliquid operandum sic, vel aliter, et superatur, ac vincitur ipsa naturalis indifferentia aliqua assuefactione, ita ut etiam immanissimæ bestię mitescant, et cicurentur. Sed tamen deficit hoc a ratione habitus perfecta, quia talis habitus non subest dominio brutorum, nec utuntur tali assuefactione cum volunt, sed in hoc dependent ab ipso naturæ instinctu, et determinatione, quæ uno modo operatur quoties aliquid uno modo occurrit, nec assuefactio ipsa, seu dispositio ex assuefactione relicta, formalem modum operandi præbet, quæ natura non habet ex se, sed solum conditionem aliquam ponit, ut natura sua determinato modo operetur, ut statim explicabitur. Sed tamen quantum ista assuefactio involvit, et concernit de instinctu naturæ, ab eoque dependet, tantum recedit a ratione perfecta habitus, quia semper modus operandi ex habitu contraponitur modo ope-

randi ex instinctu naturæ, quod enim a natura determinatur, non ab acquisita facilitate, et determinatione provenit. Hæc tamen qualiscumque consuetudo, et assuefactio sit, magis invenitur in brutis quando assuefiunt ex hominum directione, et gubernatione, quam si inter se solum bruta conveniant, et operentur, quia ibi fere totum videtur pertinere ad instinctum, et parum est de consuetudine determinante, eo quod consuetudo magis determinat dirigendo, quam solum iterando actionem: minus autem dirigit consuetudo brutorum, quam hominum.

XV. Si autem quæras quid ponit ista assuefactio in brutis, et quam dispositionem relinquit, aliquidne præter species repræsentativas, ut iudicium ordinetur, an solas ipsas species sine aliquo addito; an etiam in ipso appetitu ponit aliquid, quod feratur in res propositas per iudicium; an non, respondetur quod aliqui diversimode sentiunt de ista qualitate. Sunt enim qui putant qualitatem istam esse aliquid superveniens ipsis speciebus, disponens, atque ordinans eas: sicque nihil illi deest ad rationem habitus. Et secundum hoc positus speciebus in apprehensiva bruti, non solum a naturali instinctu, et determinatione naturæ movetur animal, sed a directione illius habitus, et ex vi consuetudinis. Unde aliqui tantum ponderis huic qualitati attribuunt, quod etiam æqualiter repræsentatis bruto duobus objectis, potest in vi hujus qualitatis ex assuefactione relicta, propendere in illam partem, ad quam qualitas illa inclinatur. Alii existimant non esse qualitatem istam distinctam ab ipsis speciebus in apprehensione bruti, nec superaddi dispositionem dirigentem, et ordinantem illas, sed esse ipsas species consuetudine ipsa magis fir-

matas, et vivacius occurrentes, et repræsentantes objecta apprehensioni, qua posita, ex ipso naturæ pondere, et instinctu brutum determinatur, non in vi dispositionis, et habitus, quo potentia utatur ad directionem, et usum talium specierum.

XVI. Hæc sententia probabilior videtur, et conformior modo loquendi D. Thomæ, qui in locis supra citatis, quæst. xxiv de veritate docet, bruta habere determinatum iudicium ad hoc quod id quod uno modo proponitur, vel occurrit eodem modo semper accipiatur, vel fugiatur. Et in hac quæstio l, art. iii ad secundum dicit: « Dispositionem quæ ex consuetudine ponitur in brutis, deficere a ratione habitus quantam ad usum voluntatis, quia non habet dominium utendi, vel non utendi, quod videtur ad rationem habitus pertinere, et ideo proprie loquendo in eis habitus esse non possunt. » Negat ergo D. Thomas illi dispositioni, quam bruta acquirunt ex consuetudine propriam rationem, et quidditatem habitus. Et hoc ideo, quia nunquam receditur perfecte ab instinctu naturæ in movendo, et determinando operationes bruti, eo quod in operationibus istis agit semper uno modo. Et licet agat cum aliqua ordinatione, ut advertit S. Thomas quæst. xxiv de veritate citata, art. ii, quia habet iudicium ordinatum de aliquibus, tamen hæc ordinatio est, quia sic proponuntur ei species, vel insurgunt passiones ordine illo, et sicut proponuntur sic iudicium format, etsi aliter proponuntur, aliter iudicaret, quod est materialiter, et per accidens ordinari iudicium, non ex proprio motu, sed ex instinctu naturæ, quia determinato modo semper operatur, nec indiget determinatione ex parte subjecti, ut sic dicam, sed ex parte objecti; sub-

jectum enim semper determinatum est ad sic agendum, si sic proponatur, et ad agendum, et judicandum aliter, si aliter proponatur. Cum ergo habitus deserviat ad determinandum operationem, determinatione se tenente ex parte subjecti, si subjectum determinatum est ex instinctu naturæ ad operandum uno modo posita objecti propositione, non est in tali subjecto habitus, qui proprie et quidditative habitus sit.

XVII. Quid ergo est quod facit assuetudo in brutis, et quam dispositionem relinquit, respondetur totum quod facit, tenere se ex parte objecti, seu specierum, quatenus quasdam species præ aliis tenacius ipsum objectum sæpe occurrens infigit memoriæ, et cum tali propositione quod repræsentent terrorem aliquem, aut voluptatem, et sic quoties talis species occurrit, cum jam ex consuetudine ipsa firmiter repræsentetur tale objectum cum tali modo terroris, vel voluptatis, necessario, et determinate insurgit passio fugiendi, vel prosequendi, aut operandi, et sic videntur ex consuetudine operari, cum tamen solum operentur ex instinctu, et determinatione, et firmitate, atque ordinatione passive tantum ex parte specierum. In nostris autem habitibus, verbi gratia in scientia, etiam species ordinantur, sed non passive tantum, datur enim per habitum etiam ipsi subjecto facultas active ordinandi, non circa passive ordinata, ipso impetu naturæ se effundendi. Unde cum canis ordinate satsat, aut psittacus loquitur humana verba ordinate, non provenit hæc ordinatio ab habitu active ordinante, sed ex instinctu naturæ se determinante circa species ordinate introductas, aut firmatas, sicut etiam ignis, et aqua artificioso modo, et ordinate possunt disponi, non ali-

qua qualitate acquisita in igne, qua ordinet se, sed solum propter materiam sic dispositam tali ordine, quod ignis serpit per illam, et comburit ordine quodam: et similiter quia distribuitur ordine quodam, sed ista ordinatio, tam in ipsis, quam in brutis est ordinatio passiva, et ex parte materiæ se tenens, non qualitas ordinans, et disponens active, quod pertinet ad vim, et rationem habitus.

XVIII. De reliquis potentiis sensitivis, constat quomodo sint ponendi in illis, vel denegandi habitus. Nam in appetitivis brutis non sunt capacia habitus: homines vero sunt, quia in brutis appetitus soli subjacet imaginationi, seu æstimativæ, nec habet aliud movens, unde si iudicium determinatur ex instinctu naturæ, etiam appetitus regulatus a tali iudicio determinate procedet, et licet habeat indifferentiam, et varietatem, seu multitudinem actuum ex parte materiæ, et rerum quas potest sequi, et appetere, tamen ex parte activæ determinationis, non ex habitu se determinat, sed ex instinctu naturæ posito hoc objecto fugit, et posito illo amat. At vero in nobis appetitus habet æstimativam pro immediato movente, sed rationem pro superiori, cui subjacet, nec sine illius permissu potest ultimate exequi, quia sub dominio ejus est, et ideo Scriptura dicit Genes. iv: *Sub te erit appetitus ejus, et tu dominaberis illius*. Unde ex ipso ordine rationis derivato ad æstimativam habet appetitus sensitivus moveri, et determinari secundum modum rationis, et ex hac parte est capax habitus proprie dicti, quia non agitur, nec determinatur solo instinctu naturæ, sed determinatione acquisita quatenus movet se, et determinat active ex acquisitis, non ex naturalibus.

XIX. Nec obstat, quod appetitus

DISPUTATIO XIII. ARTICULUS II.

sensitivus movetur ex naturali connexionem, et qualitatibus alterantibus, modo ad iram, modo ad concupiscentiam, etc. Hoc enim non est per totalem determinationem ex solis istis qualitatibus, sed ita movetur, et excitatur, seu incitatur ab illis, quod potest resistere ex influentia rationis, sicut etiam potest resistere rationi ex impressione corporali istarum qualitatuum quibus appetitus incitatur. Et sic cum sit potentia, quæ ab istis diversis moventibus potest moveri et cuilibet resistere, a neutro plene determinatur, et sic indiget habitu active determinante ex acquisitis, quod non potest facere ex sola natura. Nec tamen modo determinamus, an isti habitus, qui dantur in appetitu sint virtutes. De hoc enim specialis difficultas est contra Scotum in sequenti disputatione tractanda. Ubi autem maneant isti habitus mortuo homine, dicitur non manere formaliter, quia subjectantur in corporea potentia, quæ perit, sed manent virtualiter, scilicet in ipsa anima separata quatenus habet in se syndæresim, et principia practice rationis, quæ sunt semina virtutum, et similiter in memoria manet recordatio eorum, quæ facta sunt per opera virtutum, et in voluntate determinatio ad recte eligendum in talibus materiis, vel e contrario si fuerunt habitus vitiosi, et ex talibus principis, resurgente corpore, facile reintegrantur habitus in appetitu sensitivo.

XX. De sensibus exterioribus jam supra diximus esse incapaces habitus in ordine ad suas cognitiones, et eadem ratio est de sensu communi. Istæ enim potentiæ sunt omnino determinatæ, quia solum intuitivam notitiam et experimentalem habere possunt. Notitia autem intuitiva de sui natura est ita convincens, et determinata, quod non requirit aliquo

superveniente determinari. Et sic potentiæ quæ indifferentiam non habent ad aliquid abstractivum, non indigent determinatione superaddita per habitum, quia ex ipsa natura rei determinantur. Quod præsertim verum est de notitia intuitiva simplici, nam quæ indiget discursu, aut compositione aliqua, vel collatione potest per habitum supervenientem determinari, quia aliqua difficultas est vincenda, quæ totaliter non vincitur per naturam, sed per aliquid acquisitum, et superadditum media collatione discursiva, vel compositione propositionis. Et sic videmus per scientiæ habitum determinari intellectum ad evidentem notitiam confusionis, et per habitum principiorum ad evidentem notitiam veritatis eorum, sed scientia attingit conclusionem non intuitive immediate, sed per evidentem consequentiam ex principiis, et habitus principiorum mediante compositione terminorum propositionis format, et evidenter cognoscit.

XXI. Potentiæ autem quæ sine discursu, et compositione cognoscunt sive intuitive tantum, et in præsentia objectorum, ut sensus exteriores, et sensus communis, sive comprehensive, et quidditative, ut Angeli etiam in absentia objectorum, tales potentiæ habitu acquisito superaddito non indigent, quia determinatæ, et convictæ sunt ad talem evidentiam, et notitiam. Unde potentiæ exteriores, si in se, et in ratione potentiæ, et in ipso organo non sint impeditæ, statim sive aliquo superaddito acquisito perfecte cognoscunt in sua linea. Quod si impediatur organum, non habitu tollitur impedimentum, sed curatione. Et intellectus Angeli statim a principio sine aliquo acquisito superaddito perfecte comprehendunt, et intelligunt quidquid ad suam pertinet spheram.

XXII. At vero si in sensu externo

consideremus executionem, qua moventur ex imperio voluntatis, sic non magis sunt capaces habitus, quam alia membra corporis, quia despotice serviunt, et obediunt voluntati.

XXIII. Tertio colligitur, quomodo in ipso corpore, ut distinguitur a potentiis, et in ipsa essentia, et substantia animæ ut a potentiis distinguitur possit esse habitus, seu dispositio quod aliqui negant existimantes habitum solum esse operativum, atque adeo in potentiis operativis residere, dummodo habeant prædictam conditionem, quod potentiæ habeant aliquam indifferentiam, et difficultatem vincendam per consuetudinem, aut ordinationem. Et refert D. Thomas in hac quæstione L, art. 1, ita sensisse Alexandrum relatum a Simplicio in commento prædicamentorum. Sed hoc expresse est contra Aristotelem in capite de qualitate ponit sanitatem qui in prima specie qualitatis, non tantum ad explicandam hoc exemplo rationem facile, vel difficile mobilis in habitibus, id enim etiam exemplificat in scientia, et virtute, quæ sunt habitus operativi, sed etiam quia inter species dispositionis eam numerat. Et expressius in septimo physicorum, textu xvii, ponit sanitatem, et pulchritudinem inter species habitus.

XXIV. Et ratio id persuadet, quia per sanitatem recte disponi dicimur, sicut male per ægritudinem, et pulchritudo recte ordinat subjectum ad placendum, sicut fœditas ad displicendum. Et hoc ideo, quia pertinet ad istas qualitates ordinationem facere inter plura, quod est proprium munus qualitatis disponentis (ut supra diximus) constat autem quod sanitas ordinat, et ad temperamentum reducit inæqualitates plurium humorum, pulchritudo proportionem partium cum suavitate coloris

facit; ergo qualitas sic ordinans, et commensurans plura dispositiva est juxta definitionem dispositionis, quod est ordo habentis partes. Denique essentia animæ, ut distinguitur a potentiis, est capax habitus, nempe gratiæ in opinione quæ distinguit illam a charitate, quæ communior est inter theologos, et dicitur gratia disponere, et ordinare radicaliter, quatenus afficit, et elevat animam tamquam principium, et radix ordinandi omnes affectiones animæ in esse supernaturali. Ergo non solæ potentiæ operativæ, sed etiam ipsa substantia est capax habitus.

XXV. Quarto colligitur omnes potentias racionales elicivas actuum immanentium, esse capaces habituum, ut intellectus, et voluntas, quia habitus erunt operativi, quia disponunt, et ordinant potentiam ad operandum. Etenim in his maxime potentiis reperitur indifferentia ad plures, et diversos actus, et difficultas vincenda aliqua consuetudine, vel principio extrinseco elevante, et consuetudo facit habitum acquisitum, elevatio supernaturalis infusum. Quod istæ potentiæ sint capaces habitus, constat experientia, et ratione in acquisitis; theologica autem ratione in infusis. Experientia est, quia videmus homines addiscere scientias, et proficere in virtutibus per consuetudinem, et repetitos actus, vel e contrario proficere in pejus per vitia, vel per errores; virtutes autem, et scientiæ pertinent ad partem animæ racionalem; ergo potentiæ illæ racionales maxime sunt capaces habitus. Ratio vero est, quia istæ potentiæ habent indifferentiam, indeterminationem, atque difficultatem vincendam per consuetudinem, et usum, indigentque ordinari circa ista multa ad quæ indifferentiam habent, et in unitatem reduci, ut facilius, et melius operentur, ergo sunt capaces habitus: tota enim

ratio et necessitas ponendi habitus ista est, ut vincatur difficultas, et tollatur indeterminationem, quam indeterminationem dari satis constat ex indifferentia in judicando, quoad intellectum, et indifferentia libertatis in voluntate, quæ indifferentia non per naturæ instinctum, et determinationem tollitur, sed per usum, et activitatem, et industriam.

XXVI. Ratio vero theologica vera est, quia homo est particeps actuum supernaturalium, et ad illum ordinem elevabilis est: ergo necesse est aliquo principio elevante, et proportionante potentiam ad actus illius superioris ordinis affici, et perfici, ut illos eliciat, quomodo enim potest naturalis potentiæ solis suis viribus sufficere ad ea quæ sunt supra se? Ergo indiget sibi superaddi principium aliquod, quo sic proportionetur ad agendum, et hoc non potest esse ipsemet actus supernaturalis, sed aliquid antè, quod sit principium illius, quia datur illa elevatio ad talem actum eliciendum, et sic supponit aliquid, quo proportionetur potentia ad illum: ergo illud se habet per modum actus primi, utpote ordinans potentiam ad secundum, et non est actus primus tamquam potentia animæ; tum, quia potentia est naturalis, utpote proprietas animæ; tum, quia potentia est indifferens ad naturales, et supernaturales actus, ad bonos vel malos, ille vero actus primus determinat indifferentiam illam, et disponit ad supernaturales, et bonos actus, et vincit difficultatem ad illos, elevando potentiam, ergo est habitus. Qua ratione in Clementina Ad nostrum probatur indigere animas lumine elevante ad videndum Deum, quæ utique elevatio ad visionem, lumen est, et actus primus tamquam dispositio, et habitus ad actum secundum, qui est visio.

QUI HABITUS IN SINT ANGELIS?

XXVII. Ultimo colligitur, quomodo in Angelis sint ponendi, vel negandi habitus. Negat illos D. Thomas in ordine ad actus naturales, et proportionatos loquendo proprie de habitibus, concedit vero in ordine ad actus supernaturales, ut deducitur ex hac quæstione L, art. vi. Et in hac parte diversi auctores non eodem modo sentiunt. Nam in ponendis habitus supernaturalibus elevativis omnes conveniunt, cum constet Angelum esse capax gratiæ, quæ ejusdem rationis est cum nostra, et similiter gloriæ, in gloria enim, et in supernaturali participatione Dei promittitur æqualitas hominibus cum Angelis, Matth. xxii, et Marci xii, et mensura hominis qua mensuratur coelestis Hierusalem est etiam mensura Angeli, ut dicitur Apocalyp. xxi. In nobis autem principia elevativa ad operationes supernaturales sunt habitus, ut gratia, et virtutes, et lumen gloriæ; ergo et in Angelis. Est enim eadem ratio, quia Angelus non habet proportionatam, et determinatam virtutem, et potentiam ad actiones supernaturales, sed solum obedientialem, quæ omnino indifferens, et improportionata est ad tales actus, si quidem ex gratia Dei, et non ex natura habent merita, et gloriam, et ideo indigent non solum facilitari, sed elevari ad illos sicut et nos: ergo oportet ponere in eis habitus sicut in nobis, quia facilitas illa, quam habent Angeli est elevativa, et ejusdem rationis sicut nostra ad supernaturalia. In hoc omnes conveniunt.

XXVIII. Dissident autem in his, quæ pertinent ad naturalem ordinem, an pro illis habitus habeant superadditos speciebus, et facilitantes, ac determinantes ex parte sub-

jecti ad eliciendum actus non præcise repræsentantes, sicut species. Et aliqui dicunt Angelum etiam esse capacem habitus quoad naturalem, et certam, atque evidentem cognitionem, sicut nos sumus capaces habitus quoad prima principia, etiamsi evidenter, et sine discursu cognoscantur; ergo eodem modo Angelus erit capax habitus quoad cognitionem naturalem evidentem. Quæ sententia attribuitur Molinæ 1 p. quæst. LVIII, a. 1, concl. VI, et Zumel super eundem locum; alii sentiunt non indigere habitu Angelum quoad veritates evidentes, et conclusiones ex illis proxime deducibiles, bene tamen quoad eas, quæ sunt multum remotæ, et ideo difficultatem ad quam patiuntur in deductione ex illis; alii, respectu omnis cognitionis evidentis naturalis negant Angelis habitus, bene tamen respectu cognitionis conjecturalis opinativæ, assensus credendi, quia ad hæc omnia suam difficultatem sentire potest intellectus, et indifferentiam habet, et indeterminationem, potestque consuetudine vinci. Ita sentit Gregorius Martinez hic quæst. L, a. VI, et citat Bagnez 1 p. quæstione LVIII citata et Suarez in metaph. disp. XXXIII, sect. IV. De habitibus virtutum moralium, quæ pertinent ad voluntatem facilius intelligitur eos poni in Angelis propter indifferentiam, et contingentiam libertatis in operando. Et ideo magis indiget determinari per habitum. Alii denique generaliter negant Angelis habitus intellectuales, ut Cajetanus quæst. XXX, artic. VI, quamvis quoad voluntatem habitus concedat.

XXIX. Et hæc ultima sententia sine dubio videtur D. Thomæ, qui respectu naturalis cognitionis docet Angelum non esse in potentia, sicut intellectus noster est in potentia ad scientiam antequam addiscat, id est,

ad ipsam scientiam in actu primo, sed solum est in potentia ad considerationem actualem. Intellectus autem qui non est in potentia ad aliquid, sed actuatus, et determinatus ad illud, non est capax habitus. Id autem docet S. Thomas 1 p. quæst. LVIII, articulo primo et in quæstione XVI de malo, art. V. Et in hac quæstione L, articulo VI docens, quod in quantum invenitur in Angelis de potentia, in tantum potest in eis habitus inveniri, subdit: « Quod habitus intellectualis substantiæ non sunt similes his, qui sunt ex habitibus, sed magis sunt similes immaterialibus, et simplicibus speciebus, quas continet in se ipsa. » Quos habitus postea explicans solum concedit in intellectu, et voluntate Angeli habitus ad attingendum Deum, qui utique sunt habitus supernaturales, quibus scilicet Deo conformatur, ut ibi dicit S. Thomas, nam ad attingendum Deum naturaliter, cum attingat illum secundum modum suæ substantiæ, jam ad hoc negaverat D. Thomas habitum in Angelis. Itaque qui sentiunt Angelum discurre, et componere saltem circa aliqua objecta, ponent etiam habitum ordinativum specierum, et conceptuum quoad illas veritates: qui vero omnem discursum, et compositionem negant Angelo, omnem habitum ordinativum specierum negant illi, et solum elevativum et supernaturalem intellectum ponunt, quia ad alia munera non est difficultas in intellectu Angeli vincenda per habitum.

XXX. Ratio autem est, quia circa objecta naturalis ordinis, et sibi proportionata, Angelus habet naturale lumen suæ potentiæ, et ipsas species ita perfectas, et in actu, quod comprehensive procedit a quocumque objecto suæ sphaeræ, et sibi proportionato; ergo non indiget aliqua qualitate ordinante, et disponen-

te species ut debite, et ordinate cognoscat, quæ est habitus, nec aliquo acquisito, quo lumen ejus actuetur, et acuatur per rectam dispositionem, et ordinationem ad facilius cognoscendum. Hoc est munus, et officium habitus; ergo non indiget; imo non est capax habitus ejusdem rationis, et modi, qui in nobis invenitur. Antecedens est certum, quia lumen angelicum est excedens lumen humanum in hoc quod intellectus humanus discursivus est, et compositivus, angelicus vero non, sed est lumen comprehensive, ergo ex se, et ante omnem habitum exigit species sic vivaciter, et perfecte repræsentantes quod potentia illis actuata possit simplici intuitu penetrare comprehensive omnes veritates, quæ ex talibus principiis sunt deducibiles, et in eis continentur, sed hoc ipso quod repræsentantur omnes veritates deducibiles ex aliquo principio per simplex lumen comprehensive, non indiget habitu aliquo componente, et ordinante illas species ad cognoscendum tales veritates; ergo non indiget tali habitu scientiæ, vel principiorum, aut alio alio tali quali apud nos datur, seu ejusdem speciei cum nostro. Patet consequentia, quia habitus intellectuales, qui apud nos sunt ad hoc deserviunt ut ordinent, et disponant species taliter quod ex illa ordinatione resultat lumen rectæ dispositionis circa intelligentiam illarum veritatum, quia enim intellectus sentit magnam difficultatem in ordinandis debite, et recte speciebus et consequenter multam indeterminationem, et indifferentiam ad cognoscendam veritatem, indiget habitu, seu dispositione ordinante, et determinante ut veritas determinata cognoscatur, et sic vincatur illa difficultas, et indeterminationis, quam habet intellectus de se. Ergo ille intellectus, qui caret tali difficultate,

et indeterminatione, sed de se habet vim comprehensivam veritatum ad suam sphaeram pertinentium, et species conformes huic virtuti in repræsentando, et sic ante omnem ordinationem, et dispositionem, factum per habitum comprehensive per illas cognoscet, ergo non indiget habitu, sicut nos ad ordinandum species.

XXXI. Dices: Non indiget Angelus habitu ad hoc munus, indigebit tamen ad aliud, scilicet ad determinandum intellectum ut intelligat sic determinate circa tale objectum, alias probaret argumentum, quod Angelus non habet habitus supernaturales, et dona Spiritus sancti pertinentia ad intellectum, ut sapientiam, et scientiam, quia etiam illi habitus non ordinant species in Angelo, sicut in nobis.

XXXII. Respondetur habitum in intellectu non habere aliud munus, quam vel ordinare, et disponere indeterminationem, vel indifferentiam, et difficultatem vincere, aut elevare ad id quod excedit proportionem propriæ, et naturalis virtutis, quia ad hoc indeterminationem, et indifferentiam habet potentia. In ordine autem ad veritates ordinis naturalis non indiget Angelus habitu ordinante species, quia illæ omnem ordinationem, et connexionem veritatum manifestant simplici intuitu, et si quid non manifestant, quia non est debitum ei, id intelligere possunt ex altero Angelo loquente, vel ex illuminatione superiorum, quatenus per species suas cognoscunt conceptum superioris Angeli sibi revelantis, in quo relucet objecta illa perfectius, et lucidius repræsentata, quæ ex vi proprii luminis, et specierum solum in confuso, et minus particulariter repræsentabantur. Qua ratione species infusæ Christo Domino licet sint magis particulares, et multi-